


37



20

CLYSMATVM
FRIGIDORVM
IN ANI PROCIDENTIA
VSVM,



PRAESIDE

PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. UTIL. ITEMQUE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD D. OCTOBRIS CICLOCCCLXXX.

MEDICI DOCTORIS DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS

PVBLINE COMMENDAT

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS HEYDENREICH,
GRIMMENSIS SVECO - POMERANVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

ERIGIDORUM
IN ALTBORGENDZT

PERI O HANBALI

ALBORGENDZT
HANBALI
HANBALI
HANBALI

MEDICODONATIS
LEGITIME CAVESSARAS
PARFEE COMINNAD
ALCATOR
COROLAS TRIDERICAS HEYDENHIC
GIMMELIS STOCQUOMER

STOCQUOMER
S T Y P O G R A P H E W I N T E R I A M O




PROOEMIVM.

Qquam contumax optimisque medi-
corum consiliis saepe numero
inobsequens illud inferioris guttiris sit ma-
lum, si hoc extra limites suos prolabitur,
omnes ii apprime norunt, qui mala sua for-
te dictam hanc ani molestiam experiuntur.

A 2

Ta-




Tametsi vero medicandae huic procidentiae varia passim a medicis aequē, ac chirurgis, proposita sunt remedia; quorum recensum plerique chirurgicarum institutionum commentarii comprehendunt: in eo tamen recolendo nunc neutiquam laborabimus, ne, velut ex crambe toties recoēta, lectoribus nausea excitetur. Quoniam autem in vniuerso isto remediorum, prolapsō ano proficuorum, apparatu simplicem quādam medelam facileque et vbiuis locorum parabilem desiderauimus, quae nobis ex optimi *Præsidis* nostri obseruationibus innō-
tuit:

tuit: visi nobis sumus operae facturi pre-
mium, si instituta huius ipsius argumenti cu-
ratori disputatione medicam nobis lauream,
more rituque a maioribus instituto, compararemus. Evidem haud ignari sumus,
ante triginta circiter annos celeberrimum
in vniuersitate litteraria Lipsiensi virum,
SAMVELEM THEODORVM QVELMAL-
ZIVM, frigidorum clysmatum usum ad va-
rii generis morbos alleuandos singulariter
et meliori de nota commendasse (*):
quantum tamen adiumenti haec ipsa cly-

A 3

sma-

^{*)} In programmate, Lipfiae anno CICLOCCCLY publici iuris facto.



simata in ani procidentia praestent, ne verbo quidem tetigit. Proinde, animum ad scribendum appellantes, hanc ipsam materiem lubenter sumsimus, et viribus nostris aequam, et in doctrina clinica haud infruimus. Et uosam. Pauca igitur quaedam de natura causisque huius morbi *priori* commentarioli nostri sectione praefati, *et posteriorem* explicandae frigidorum clysmatum in eodem efficacitati impendemus.


SECTIO

SECTIO PRIOR
PATHOLOGICA.

§. I.

Affectae sedis consideratio.

Dum in eo sumus, ut difficili isti morbo, quo extre-
mus insimusque tubi cibarii finis interdum ex
morbosa laxitate adficitur, medelam proponamus,
refert omniō lectorum, ante omnia ipsam hanc
partem, cui haec affectio insignem molestiam na-
turalisque actionis impedimentum obiicit, accura-
tius nosse. Quid sit *anus*, quis non nouit? quo-
modo autem sit constructus, et quibusnam viribus
regatur, ut muneri suo transmittendarumque fecum
necessitudini recte inseruiat, quotusquisque intelli-
genter cognoscit? Adde, hinc quoque patere,
quaenam ipsius partes, sicubi procidit, singulariter
in officio suo deficiant: ut medicus eo rectius intelli-
git, quaenam inter haec loca praecipue remediis sint
attentanda? Ergo extrema intestinorum crassorum
pars, ad ultimam lumborum vertebram, ossis sacri
sedem secuta, ex iliaco coli flexu, deorsum atque
rettor-



retrorsum in peluim exporrigitur, et nunc, ob qualemcumque rectitudinis normam, recti accipit cognomen: licet hoc neutquam mereatur, cum eo loco, quo secunda atque tertia ossis sacri vertebra spuria inuicem committuntur, in angulum inclinet, et antrosum deorsumque progrediatur, imoque ossi sacro et coccygi demum incumbat. Omitto nunc consulto peritonaei nexus plicasque adiectamque posterius cellulosa telam, appendicesque epiploicas, et vicinarum partium situs: cum praesenti, quem disputamus, morbo illustrando nihil lucis adferant. Quae autem nunc sequuntur, nostro proposito sunt conuenientiora. Generatim rectum intestinum reliquorum crassorum, quibus continuatur, structuram contextumque conseruat. Sed accedentia cum colo tria ligamenta paullatim diducta se contingunt, latiusque diffusa totam externam intestini recti superficiem ambiunt: vnde, quae in colo conspicuntur, hemisphaericae cellulae prorsus euaneescunt, oesophagique fere simile, fibris carneis in longitudinem exporrectis, reddunt hoc intestinum. Iisdem vero satis validae quoque transuersae siue circulares fibrae subsunt. Atque vtraque haec fibram carnearum series ipsam nostri intestini musculariem tunicam absoluit. Quae subest, neruea tunica

cum

TOTI 302

cum reliquorum intestinorum crassorum cognomine conuenit, robore autem antecellit. Ad haec interius plurimis distinguitur reticulatis iugis, quae villosae tunicae similibus respondent. Haec autem conspicuis caret villis, plena ceteroqui praeditis reticulatis rugis et innumerabilibus poris mucosis. De circumposita et interiecta dictis tunicis cellulosa tela monemus tantummodo, quod extima musculosae tunicae plurimum adipis circumfundat; utraque interior autem consueto laxior sit, adeoque utriusque interioris tunicae relaxationem haud difficuler admittat.


§. II.

Idem argumentum.

Ergo tandem villosa tunica in epidermidem, nernea in cutem, fibrarumque muscularium transversarum series in sphincterem definit, longitudinalibus fibris ad eundem locum albescientibus sensimque evanescentibus. Inde nascitur ostium rotundum, constrictum, plicisque cutaneis, in stellae modum, corrugatum: quod *anum* vulgo appellant, magna glandularum sebacearum copia circumseptum. Anteaquam vero intestinum hic finitur, circulares fi-

B

brae




brae in circulum oualem et tumentem congeruntur, ob fibrarum auctam copiam maxime robustum: cui *sphincteris interni* nomen anatomici vulgo indiderunt. Ab hoc, voluntati quoque obsequioso, intestinum perpetuo clauditur, nisi vitii quidquam accederit. Quem super annulus eminet, villosae nerveaeque, immo etiam musculosae tunicae, propago: a quo sursum plurimae plicae semilunares et divergentes in ipsum intestinum exporriguntur, multis cryptis mucosis, in auersa ab annulo parte apertis, inferius coecis, distinctae. Extrinsecus, post internum, sub cute latet *externus sphincter*: ex durabus ortus columnis muscosis, utrinque, media sui parte, velut arcu, intestinum amplectentibus, postico loco levatoris musculi fibris auctus, interdum quoque emisso fasciculo cum interno sphinctere connexus. Antrorum dictae columnae coeunt, et suis fasciculis in perineum, in viris in vrethrae bulbum et vulgo dictos acceleratores, in feminis vero in vaginæ constrictorem continuantur. Posteriores autem velut sagittati harum columnarum fines in coccygea cute et subiecto adipe denso, immo in ipsa coccyge, firmantur. Vnde velut illaqueatus intestini exitus firmissime coercetur. Sed et levatorum ani musculorum in levando, sustentando, attollendo, reducendo-

doque ano insigne est munus. Non expedit hic, longas et multiplices, expositaque difficiles huius musculi repetere origines. Sufficiat monuisse, eas fibras, quae a pubis ossē oriuntur, partim inferioribus anterioribusque stratis sphincteri accumbere, partim insimis in ipsum immitti sphincterem: quo ex nexu intelligitur, quantum in tollendo et reducendo ano praestare possint. A postica parte *coccygei* ad anum accedunt musculi, saepe leuatoribus contigui, eidemque officio cum his destinati. Neque ab eodem scopo abludunt *transuersi* musculi, communi fere cum leuatoribus loco enati, ceterum multiformes, et longiori, quam nostrum patitur institutum, descriptione egentes. Nervosum vasorumque histriam lubenter praetermittimus: partim quod argumenti nostri illustrationi parum inferuiunt; partim quod ex aliis idoneis auctoribus haud difficulter repeti possunt (*a*).

§. III.

Ani procidentia quid?


Verum enim vero accidit interdum variis de caussis, vt internarum binarum huius intestini tunica carum
B 2
Quicunque generatim ampliorem hujus intestini historiam re-



carum aut vtraque coniunctim, aut villosa sola, ad aliquam conspicuam longitudinem (*b*) sphincterum terminos excedat, per annum exeat, et contra naturae ordinem in hoc loci errore persistat; atque tunc etiam, cum reponitur, promte denuo excidat: quod vitii genus Ἀστλητιαδῶν πᾶσες ani procidentiam aut prolapsum appellare solent; Graeci πρόπτωσιν τὸν δακτυλίου; nostrates vernaculo sermone den *Vorfall des Afters*, itemque das *Austreten des Mastdarms*. Neque hoc adeo mireris, aut dictu incredibile putas, tantam hic interiorum tunicarum ab exteriori fieri secessionem: quandoquidem, vt supra iam exposuimus, perquam laxus eius telae cellulose est contextus, quae musculosam huius intestini tunicam nerueae, hancque villosae conjungit; ut innumeras rugas, his in tunicis reperiundas, et ab expansione facile explicandas elongandasque, nunc taceamus. Ipsam autem musculosam recti intestini tunicam cum ceteris elabi, quod nonnulli
con-

quirit, commode remitti potest ad illustris ALBERTI de
HALLER Elementorum physiolog. Tom. VII. pag. 144. seq.

b) Ipse optimus Praeses noster paucis abhinc diebus Cüstrini in vxore militis cuiusdam ani procidentiam, ad sex latos pollices elongatam, vidit: quod malum difficilis ante triennium partus reliquerat.




concedere videntur (c), difficile profecto est creditu
iis, qui et ligamentorum muscularium, a colo acce-
dentiū, et reliquorum muscularum firmorum, huc
conspirantium, quos supra exposuimus, firmissima
in vicinis ossibus stabilimenta considerant. Quibus-
nam vero ex caussis huiusmodi ani procidentia na-
scatur, sequitur, vt, instituto nostro conuenienter,
nunc expediamus. Scire autem licet, tametsi ner-
ueae tunicae, quae binis intestini reliquis in-
teriacet, cum sit continuata cutis, contractilem na-
turam haud abnegamus, eidemque in retinenda inti-
ma membrana, quam villosam vulgo vocant, ob-
coniunctionis rationes quantulamcunque tribuimus
partem: esse tamen vero magis consentaneum, si
omnem coercendarum suos intra limites interiorum
nostrorum intestini tunicarum vim ad iustam totius syste-
matis muscularis hic dispositi, praecipue sphincterum
anique levatorum, quos omnes singulosque paullo
ante descripsimus, irritabilitatem deferamus. Haec
enim tum demum, cum imminuta est aut labefacta
ta, aut etiam sublato fibrarum muscularium cum vi-
cinis nexu infirmata, interiori tunicae exitum ex
ano haud difficulter concedet. Haec igitur irrita-

B 3

bili-

c) Verbi cauſa, GEORGIVS WOLFGANGVS WEDELIVS in
dissert. de procidentia ani; pag. 19.



bilitatis labefactatio, quam diximus, proximam huius morbi constituet *cauſam*: à qua deinde *apieas* ipsa interiorum huius intestini tunicarum dependet relaxatio, formamque dat peculiari huic morbo. Antecedentium vero et occasionalium cauſarum feriem admodum concinne, ut folet, atque expositae recenset illustris **GAVBIUS**: *Producunt*, scribens(d), *hoc vitium, quaecunque aut intestinum ipsum, aut nexum eius cum vicinis et stabilem positum infirmant, diarrhoea diuturna, dysenteria, tenesmus, creber aciorum purgantium usus, sex dura, sicca, aegrius nec nisi validis conatibus extrudenda, haemorrhoides, ascarides, vlcera, vulnera leuatorum ani, et cetera.* Verum enim vero has omnes singulasque cauſas sanguitatem persequi, rationesque euolueret, ex quibus musculosa recti intestini compages exinde labefactatur, a proposito longius abest nostro: vnde ad alteram huius commentarioli partem progrediemur.

SECTIO

d) *Institution. Patholog. medic.* §. 249.

**SECTIO POSTERIOR
THERAPEUTICA.**

§. IV.

Praemonenda quaedam.

Admodum difficile medicatu saepenumero contumaxque hoc esse malum, iam, cum praefaremur, monuimus. Ex iis vero, quae paullo ante sunt disputata, manifesto liquet, non aliam indicationem, vt in medicorum scholis dici solet, esse potiorem, conuenientiorem, magisque necessariam, quam quae proximam prolapsi ani caussam efficaciter tollit. Eo ergo omni adhibita cura eniti oportet medentes, vt imminuta atque labefactata partium musculosarum, quae ad rectum intestinum eiusque finem pertinent, irritabilitas denuo restituatur atque confirmetur. Haec igitur prima atque praecipua huic malo medentis lex esto. Tantum vero abest, vt hoc nomine de tollendis superandisque singularibus nostri morbi caussis antecedentibus atque occasionalibus sollicitudinem superuacaneam inutilemque existimemus: vt potius luculenter praeuideamus, ani procidentem



dentiae nullam vñquam veram constantemque ad-
motum iri medelam, nisi antea singulae istae caussae,
ex quibus, velut continua mutationum morbosarum
serie, enascitur irritabilitatis in affectis partibus im-
minutio aut depravatio, penitus sint sublatae.
Quid? quod haud ignoramus, harum ipsarum cau-
farum et variorum inde natorum effectuum tantam
interdum deprehendi vehementiam atrocitatemque,
vt ad ultimum salutis periculum adducantur aegro-
tantes. Quod in exemplum citamus inflammatio-
nem, gangraenam, sphacelumque, quae tam nascenti-
ti, quam natae iam atque confirmatae ani prociden-
tiae nonnunquam superuenire solent. Proinde ab-
solutae est necessitatis, vt vñusquisque medicorum,
procidenti ano conuenientem medelam allaturus, in
praegressas aut forte adhuc praesentes eiusdem mali
caussas, quarum potiores atque frequentiores supra
breuiter attigimus, curiose inquirat, cognitasque
congrua medendi methodo antea tollat, quam de
coercendo ani exitu vel per somnium cogitare pot-
est. Nolite autem impræsentiarum tot tamque
multiplicium medelarum, quibus singulae istae cau-
sae ab humano corpore arceri possunt, accuratam
exspectare recensionem, lectores: cum haec omni-
no longius ab instituo nostro absint, ipsaque hae
diuer-

diuersae medendi rationes partim in medicorum,
partim in chirurgorum, commentariis descriptae
deprehendantur.

§. V.

*Frigidorum corporum in irritabiles
partes effectus.*

Quandocunque igitur variae istae multiplicesque caussae antecedentes, ex quibus in aegrotis annus procidit, medentis consiliis auxiliisque cesserunt, tunc opportunum est tempus, de ipsa proxima huic mali caussa, labefactata nempe musculosae his in locis partis irritabilitate, penitus superanda cogitare. Duo autem hic agenda praecipiunt chirurgiae magistri: alterum, ut prolapsum intestinum leui circumspectaque opera in pristinum, quem natura definiit, locum reponatur; alterum vero, ut, quod plerumque maioris est difficultatis, idem intra dictos limites retineatur coercenturque. De priori illo instituto, quod omnes singulique chirurgici scriptores luculenter exponunt, longius differere, nostrarum haud existimamus partium: qui iidem auctores super procidentis ani retentione multa disputant. Omnis consiliorum horum ratio in eo conuenit, ut

C

im-



imminuta et prostrata his in partibus musculosi systematis irritabilitas denuo exciterur atque firmetur. Quae vis insita, forte priori seculo medicis haud incognita, lepidum archaei accepisse nomen videtur: vnde eorum temporum scriptores medici in attenta prolatione huic intestino medela iubent, excitari archaeum intestini recti, quo spiritus animales per tubulos suos lucidos copiose influant, partibusque laxis robur consistentiamque praeheat firmorem (e). Exinde facilis conficitur consecutione, ut qualiacunque ista remedia, quae leui congruoque stimulo irritabilem vim incitant, in praesenti quoque morbo, de quo nunc differimus, praefentissimae futura sint efficacitatis. Temperamus nunc calamo a recensione atque aestimatione tot tamque multiplicium remediorum, quae hoc nomine passim commendata exstant, animumque ad corporum frigidorum in irritabiles corporis humani partes vim considerandam solummodo aduertimus. Inter plurima, quae pro stimulo irritabilium partium esse possunt, ipse illustris princepsque irritabilitatis vindicta, ALBERTVS de HALLER, frigidam quoque refert (f). Quid? quod idem saepe numero, quae

e) Confer WEDELII *dissert. citat.* pag. 25.


f) In *Elementorum. Physiolog.* Tom. IV. pag. 448.

quieta fuerant, intestina in nuper incisis animalibus sua sponte ab aëris frigore denuo moueri, sensim que vehementius agitari vidit (g). Ipse optimus Praeses noster olim, anno circiter ~~cō~~ CCCLIV, dum super irritabilitate familiaria in medicorum scholis erant experimenta, in dissectis felibus canibusque quiescentia iam a suo motu intestina a solius frigidae adspersione in nouum efficacemque motum incitata animaduertit. Verum enim vero non haec sola frigoris in animales partes est vis. Quantum enim idem in contractili cutis natura augenda firmandoque valeat, horripilatio a frigore effecta luctuenter demonstrat. Licet enim commune hoc animalis corporis integumentum nequaquam sit irritabile, a frigoris tamen accessu mirifice manifestoque contrahitur. Vnde etiam HALLERVUS noster: *Frigus, inquit (h), et omnes solidas partes corporis, et fluidas omnes, etiam absque ulla vitae superfittis suspicione contrahit.* In cute motum facit nimis late regnante, nimis ad omnia genera fibrarum extensam, et cui nulla muscularis fibra respondeat, nulla enim in cute est.^{b)} Quantam ergo a frigidae applicatione in ani procidentia exspectare possimus ef-

C 2 *fica-*

g) In *Operum minorum* Tom. I. pag. 431.

b) *Libr. modo allegar.* pag. 489.



ficacitarem, exinde liquet: quod ipsa huius intestini pars prolapsa, vtraque nimirum interior tunica, cutaneae est naturae, exteriorisque cutis cuticulaeque propago; exterior vero, ex musculo genere, circumdatur, adeoque tota, quantaquanta est, affectae huius partis compages a frigida admota aut iniecta partim in irritibili, partim in contractili sua natura, augetur, excitatur atque firmatur.

§. VI.

Hinc clysmatum frigidorum usus commendatus.


Hoc ergo ipso nomine frigida clysmata in ani prolapso maximopere commendamus: quod remedium genus eo magis videtur fore commendabile, quo facilius est paribile, nec amplio aut caro indiget apparatus. Pauca tamen quaedam super horum clysmatum usu sunt monenda. Primo quod ad liquorem infundendum attinet, sola frigida aqua sufficiet: si quis vero aquam vinumque, cum remediis traumaticis decoctum infusumque, et denuo satis frigefactum, malit, nos omnino non habebit aduersantes. Eadem ratione eodemque consilio aceta quoque dilutiora, aut calcis viuae aqua, aut liquor leuissime alumini-

aluminosus, sed singula frigida, per anum possent iniici; nisi forte praecedentium caussarum symptoma adhuc residua, verbi caussa, varices haemorrhoidales, vlcera, et alia, dictorum traumaticorum usum medentibus interdicant. Porro iniecti liquoris copia sit moderata, nec supra tres quatuorue uncias adscendat: ne largior et altius, ad ipsum colon usque, propulsa frigida in ista intestinorum parte, quae minus est debilitata aut labefactata, vehementes, immo noxios, spasmos producat. Hinc ergo praestat quoque ad iniiciendum clyisma minori uti siphunculo stanneo, oris exulcerationibus mundanis alioqui destinato, aut etiam vesica et adjuncta fistula, quam adhibere solent obstetrices, si infantilis clysteres sunt applicandi. Tum et applicatio toties repetatur, quoties aliud leuat, et denuo prolapsuri ani nisus obseruatur. Denique nihil etiam nocet, linteum puluillum, frigida probe madefactum, ani orificio post singulas clysmatum injectiones admouere, et commoda firmare fascia.

§. VII.

Exemplorum quorundam recensio.

Vt vero exemplis quoque dicto remedio fidem faciamus, nonnulla huius generis hic subiungam.




gere, bona lectorum venia, liceat. Vir quidam litteratus, quadraginta circiter annos natos, ex diuturno copiosoque haemorrhoidum profluvio ani prouidentia insigni laborabat, quae omnia, alioquin hoc in malo fructuosa, remedia eluserat. Tandem frigidorum clysmatum usus, paullo ante descripta methodo applicatus, et per tres hebdomades continuatus, sollicito aegroto hanc molestiam penitus admittit. Porro femina quaedam, vix vigesimum quartum annum supergressa, paullo habitior, acriori quodam draustico, quod ab agyrtta acceperat, vehementissimam et per tres integros dies constantem contraxerat diarrhoeam: qua demum cessante excidit anus, neque ullis remediis, vnde cunque expetitis, retineri potuit. Tandem frigida quoque clysmata per aliquot hebdomades in usum sunt vocata: vnde demum rebellis anus ad officium rediit suum, usque extra limites errare desiit. Nuper quoque rusticus quidam ab adsuntis viginti quinque gummi guttae granis animam paene ex inferiori gutture emisit; paullo post, quam refocillatus erat, ani prolapsum perpetuus. Cui malo itidem frigida clysmata saepius repetita medelam attulerunt. Idem fuit euentus in diuturno ani prolapsu, qui in infante nouenni dysenteriam subsecutus erat; item

item in alio, ab ascaridibus orto, et puellam, vix
bimulam, grauiter infestante; in alio denique, qui
grauidae a grauissimis alui obstructionibus acciderat,
nec ipso partu superato cesserat. Sed
ohe! iam satis est! ohe libelle!



xxv
et
xvi
xv
xii
xi
x
ix
viii
vii
vi
v
iv
iii
ii
i



0.1 A 6709



Riko ✓





CLYSMATVM FRIGIDORVM IN ANI PROCIDENTIA VSVM,

• • • • • • • • • • • • • • •

PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET BOTAN. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. UTIL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE, ORDINIS
MEDICI HOC TEMPORE DECANO,

AD D. OCTOBRIS CICLOCLXXX.

MEDICI DOCTORIS DIGNITATEM
LEGITIME CAPESSVRVS

PUBLICE COMMENDAT

AVCTOR

CAROLVS FRIDERICVS HEYDENREICH,
GRIMMENSI SVECO - POMERANVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

